

I. N. D. O. M.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**DIVERSIS MODIS**  
TRACTANDI DISCIPLINAM  
MORALEM IN ACADEMIIS,

---

CUJUS PARTEM PRIOREM  
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REGIA  
ACADEMIA ABOËNSI,

PRÆSIDE  
**MAG. JOHANNE BILMARK,**  
Histor. & Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ordin.

*Publice ventilandam sifit*  
**ANDREAS JOHANNES ASP,**  
Satacunda - Fennio.

In AUDITORIO MAJORI Die XI Decembr.  
Anni R. S. MDCCLXXXII.

H. A. M. S.

---

*ABOÆ,*  
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,

D:no ANDREÆ ASP,

Ecclesiarum, quæ Deo in Karcku & Suoniemi colliguntur, Pastori vigilantissimo,

PATRI INDULGENTISSIMO.

*M*emoria Tuorum, PATER OPTIME, in me jugiter collatorum beneficiorum, quibus rependendis me omnino imparium esse agnosco, postulat, hanc leviter elaboratam opellam ut oculis Tuis subjiciam. Quicquid enim a Parente expectari potest indulgentissimo, hoc me sape ultra Tuas facultates liberaliter ornatum voluisti. Hunc igitur operis Tui, studiorumque meorum fructum, ut hypothecam gratissimi animi, quo Te ad cineres usque prosequar, respicias enixe rogo obtestorque. Quam si dederis veniam, Te vero daturum Tua satis spondet indulgentia, mihi nihil erit prius aut antiquius, quam calida ad Supremum Numen fundere suspiria, velit Te salvum sospitemque per longam adhuc annorum seriem servare, nihilque diligentius agam, quam ut ostendam, quanta pietate Te colam, futurus donec vixero.

PATRIS INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus

ANDREAS JOHANNES ASP.



PRÆFATIO.

**Q**uamvis tam ratio, quam ipsa etiam homines satis convincat experientia, quod non optimus tantum, sed unicus modus ad fruitionem felicitatis, cuius studium pectoribus nostris alte est infixum, perveniendi, sit sedula ac constans virtutum cultura; docet tamen Historia litteraria, quod plerique mortalium, sicut in alienis, quam in suis negotiis sunt oculatores, ita alias & prius & potius excoluerint disciplinas, quam eas, ex quibus veram virtutum indolem discere, nec non in jugi harum exercitio possent confirmari. Non nostro demum ævo nata est ista querela, sed ipse CICERO hanc virorum, qui eruditionem profitebantur, socordiam haud præter meritum perstrinxit. Profecto cum illo mirari subit: cur cum contentus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars ejus, atque utilitas Deorum immortalium i ventioni consecrata, animi autem medicina nec tam desperata sit antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam suspecta & invisa (a)? Enimvero hoc non aliis observiet paradoxum, quam illis forte, qui ignorant, quantum sibi ipsis indulgeant homines, & eam proinde negligant disciplinam, quæ deterso vanæ persuationis (b) fuso, tamquam in speculo monstrat eorum foeditatem vitiorum, in quorum exercitio multam ipsi inveniunt oblectationem, & contra ea motivorum veluti aculeis iplos excitat,

tat, ut impedimenta, sibi in virtutis semita progressuris objecta, alacriter superent, imprimis vero, ut contra affectum suorum torrentem jugiter nitantur. Amplissimis itaque immersi meditationibus cognitionem sui, ut rem ninais severam, in crastinum differunt. Atque hoc respxisse videtur Celebris FONTENELLE, ita scribens: *La Philosophie est en elle même une chose admirable, & qui peut être forte utile aux hommes; mais par ce qu' elles les incommoderoit, si elle se mêloit de leurs affaires & si elle demeuroit auprès d'eux à regler leur passions, ils l' ont envoyée dans le ciel arranger les planètes, & en mesurer les mouvements &c.* (c). Posteaquam vero Eruditii operam disciplinæ Morali, ut aliis impendere coeperunt scientiis, imprimis ab eo tempore, quo illa in circum earum admissa fuit disciplinarum, quæ in Academiis proponuntur, Historia faciem præferente, deprehendimus, veritates Morales diversa ratione ab illis Doctoribus, qui tamquam Argyrapides habentur, fuisse propositas, quas Methodos in hac explicare opella, & insimul an ad virtutis sensum, animis legentium ingenerandum, singulæ aptæ fuerint, discere constituimus.

(a) Vid. *Quæst. Tusculan.* Libr. III. ab init. (b) Pulchra est sententia BIONIS, ὅντος εἰς τὴν περὶ πειθαρίαν οὐκονόης. Persuasio est profectus impedimentum. (c) Vid. *Dialogues des morts* p. 13. D. IV.

## §. II.

Scripta Doctorum Moralium evolentes, animadvertemus, quod Methodi, quibus veritates practicas proposuerunt, in tres commode dispisci queant classes. Prima harum, quæ ut simplicitate, ita etiam teste Historia, sua fere commendat antiquitate, est *Parænetica*, quæ nudas

das sapientum sententias ac præcepta Moralia succincte exhibet, ivavi, perspicua ac concisa oratione; ceteruna nec de nexus veritatum systematico, nec de demonstrationibus inter se concatenatis sollicita. Specimina hujus Methodi in scriptis tam Sacris, quam profanis, antiquissimis pariter ac recentioribus, passim obveniunt. Vix autem cum successu hac usi sunt Methodo, quam illi, qui sua integritate ac prudentia Auditorum adsensum sibi jam ante conciliarunt, digni proinde habiti, quorum dictis sine probationum pignoribus fides haberetur, quod constaret, eos universis ac singulis optime cupere. Quamvis autem Methodo paræneticæ, quæ & memoria juvandæ inservit, & captui simplicium hominum convenit, sua non defraudanda sit laus; attamen cum homines per eandem non deducantur ad plenam convictionem, evidens est, quod ipsa postulet voluntatis emendationem ab intellectus illuminatione non dependentem; quæ ratio in Moralibus proficiendi parum videtur tuta. Hinc etiam acutissimus SENECA, defectum Methodi paræneticæ agnoscens, ita loquitur: *Nihil proficient præcepta, quamdiu menti error obfusus est: si ille discutitur, apparebit, quid cuique debeatur officio; alioquin doces illum, quid sanò facendum est, non sanum efficis.* - - - Deinde etiamsi recte faciunt, nesciunt tamen se recte facere. Vid. Epist. XCIV & XCV.

## §. II.

Communi dici solet proverbio: *Veritas odium parit;* quæ parœmia respicit veritates præcipue practicas, non item theoreticas; cum nemo non pulchrum putet, acriteris ingenii ac judicii laude condecorati, ægre autem ferat, si ad agnitionem suarum vel infirmitatum vel viatorum dederatur. Ne igitur Philosophi bilem eorum,

specimen Methodi paradigmaticæ proponendi etiam in gratiis Moralia occurrit, cum in oratione, quam Sapiens illa mulier Thekoensis ad Regem DAVIDEM II Sam. XIV: 5. seq. quam in ea, quam Westro-Gothiæ Legifer EMUNDUS de Scara ad Svetiæ Regem OLAVUM SKOTTKONUNG, vid. Starlonidis *Heimskringla* Tom. I. p. m. 519 & sq. habuit. (c) CHRISTUS, Salvator noster, crebris usus est Parabolis, explicatione non statim adjecta, ut auditorum excitaret attentionem, & eos ad doctrinam suam recipiendam præpararet. (d) Vid. *Orationem JO-THAMI* Judic. IX: 7. & seq. (e) Hoc, teste TELLERO in *Dissertat. de tribus Sacræ Morum doctrinæ Methodis* p. m. 52. contigit Pythagoræ, prudentiam in omni honesta actione commendanti sub hoc insigni axiomate: *Foras exire non audeas, ubi vetulam proxime adstantem conspexeris;* Cujus sensum mysticum cum non caperet rudior plebecula, verbis inhærens Magistri, credidit ipsum docuisse, anum decrepitam ituro occurrentem, esse infauisti ominis,

## §. III.

Sequitur tertia Methodus tradendi Moralia, *Dogmatica* dicta, non ab *objecto*, siquidem veritates in parænesibus ac paradigmatis etiam tractentur, sed a *disciplinæ forma*, quæ in eo consistit, ut propositiones Morales, præmissis terminorum definitionibus adcuratis, adhibitisque ceteris demonstrandi principiis, argumentis ac rationibus non tantum excitantibus & fväidentibus, sed & solide probantibus & convincentibus extra dubitatio-  
nis aleam ponantur, sive hoc Analytica sive Synthetica fiat ratione. Unde apparet, quod isthæc Methodus ut præstantior, ita etiam Philosopho præcipue conveniat. Sed de indole harum Methodorum pluribus differere  
nom

quorum vitam emendare studebant, nimia præceptorum prolixitate aut facili eorundem ad se ipsos applicatione commoverent, alteram excogitarunt Methodum tradendi Moralia, *Paradigmaticam* dictam, quæ in eo consistit, ut doctrinas Morales, quas nudas non terrent Auditores, imagine quadam faciant conspicuas, vel involucris quibusdam eas scite adeo tegant, ut tantum transparent, quantum e præsenti re esse judicent. Huc pertinent cum exempla, juxta illud SENECAE: *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla* (a), tum etiam quæcunque ita sunt comparata, ut quod aliena videantur proponere, libenter audiantur, sed ruminata tamen aculeos vel malefactorum vel familiarium quorundam vitiorum in animis auditorum relinquant. Atque huc spectant res in diffisis locis gestæ (b), Dramata, Satyræ, Fabulæ, Parabolæ (c), Apologi, in quibus vel bruta animantia, vel res inanimatæ, arbores ac frutices (d), sistuntur collocutores. Enimvero quum exempla illustrent quidem, sed non probent, periculum est, ne homines, quorum emendatio intenditur, si paradigmatica adhibeatur tantum Methodus, suam perficent frontem, cum nec ita illuminetur auditorum intellectus, ut ad plenam actionum suarum cognitionem perveniant, nec voluntati stringentia quædam offerantur motiva, quibus permoti ad meliorem revertantur frugem. Hoc tum imprimis valet, si exempla & similitudines sint nimis longe petittæ, adeo ut sensum earundem Moralem vix sagacissimus extricaret Oedipus; quo quidem modo arcana hæc symbola, in vulgus edita, materiem variis præbuerunt superstitionibus (e); aliter vero censem, si quisque auditorum absque prolixo conjecturatrum syrnate facile intelligat, quorsum concinnæ Oratoris fictiones tendant.

(a) Vid. Epist. VI. (b) Duplex, idemque eximum speci-

non vacat; obiter solum hac vice significandum, quod non ignoremus, quam operam in hisce tribus Methodis explicandis jam dudum posuerint **GEORGIVS PASCHIUS** in libro *de variis modis Moralia tradendi*, & **ROMANUS TELLERUS** in dissertatione *a nobis citata*; neuter tamen argumentum disquisitionis nostrae ita exhaustus, ut ultiorum observationum spicilegio nullus relictus esset locus.

## §. IV.

Post septem Græciæ Sapientes, ob axiomata quædam Moralia, quæ suis inculcabant civibus Celebres, SOCRA-TES si non primus, præcipuus tamen sua ætate fuit, qui homines ad virtutum culturam perducere studeret. Tria autem momenta sibi in docendo habuit proposita, cum ut Sophistas confunderet, & contra morem passim receptum ab inanibus vel captiosis verbis ad pragmaticam rerum cognitionem Auditores deduceret, tum ut Philosophiam a superstitione liberaret, tum denique ut loco Physicæ disciplinam ita excolet Moralem, ut praxi vi-tæ eadem inserviret; quare etiam CICERO Socrati hoc tribuit elogium, quod *Philosophiam e cælo primus devocaverit* (a). Enimvero quum nullum ipse reliquerit scriptum, a se consignatum; de Methodo, qua in Morali-bus tradendis usus fuit, non satis constat; probabile tamen est, quod modo parænetica, modo diognatica illi placuerit. Hoc certum est, quod vita sua expre-sit præcepta Moralia, a se proposita; probe gnarus, quod in rebus facti & in causis sensuum atque experientiæ, exemplis magis, quam firmissimis demonstrationibus mo-veantur mortales.

(a) Vid. *Libr. V. Question. Tusculan. Cap. IV.*

## §. V.

## §. V.

Post obitum SOCRATIS, hujus discipulus PLATO se-ctam fundavit Academicam antiquam. Hic cum va-stum a natura accepisset ingenium, pluribus scientiis o-peram tribuit; præcipue autem abstractis, quæ ad nominis celebritatem tunc plurimum valebant, animum applicuit: nec tamen disciplinam Moralem, quam a Magistro SO-CRATÈ acceperat, neglexit. Methodo utitur paradi-gmatica & argumenta Moralia per Dialogos pertractat, quæstionum analysin tamdiu instituens, donec ad eum evidentiæ gradum, quem sibi proposuit, pervenit (a). Socratem licet inducat loquenter, sua tamen placita in Socratis locum non raro substituit adstutus homo, quo partim invidiam cum nonnullis conjunctam senten-tias declinaret, partim dogmata, illustri adeo nomine ex-ornata, multis redderet commendationa. Cui autem un-quam in mentem venit Socrati tribuere lascivos ser-mones, qui in *Sympoſio* & *Phædro* ipsi a Platone tri-buuntur? Unde patet, Platonem ita se disciplinis dedisse, ut suum potius honorem, quam scientiarum pro-moveret incrementum. Attamen tanti ipse est factus, ut Christianorum quidam obscuriores in scriptis illius occur-rentes terminos ad Analogiam Christianæ religionis tra-here sint conati, ex quo abusu purior Dei Ecclesia haud paucas in suo finu sensit turbas.

(a) Vid. *QVINTILLANI Institut. Orator. Libr. V. Cap. VII.*

## §. VI.

Inter Græciæ Philosophos, quos prisca tulit ætas, præcipuam eruditio-nis in plerisque cognitionis humanæ parti-

partibus laudem consecutus est ARISTOTELES, qui etiam Moralia in formam disciplinæ systematicam redigere est annis, Methodo usus dogmatica, ut ceteris aptiorum ad res explicandas, tum ad eos convincendos, qui a se forte dissentirent. Accidit etiam Philosophia Aristotelica, quod non Socratica, ut quum hujus indolem non nisi ex discipulorum analectis cognoscamus, Aristotelis placita ab ipso fuerint litterarum monumentis consignata. Inter scripta ejus Moralia eminent libri *decem Ethicorum ad Nichomacum*, quos sequuntur libri duo *Magnorum Moralium*, nec non libri *septem Moralium ad Eudemum*, an vero eidem etiam debeatur fragmentum a STOBAEO servatum de *Virtutibus & vitiis*, multum in utramque disputari solet partem. Quod ad indolem Ethicæ Aristotelicae adtinet, multum illa trahit ex præjudiciorum coeno, cui homines sui ævi fuerunt immersi, quorum tantum non omnes statuerunt, Philosophiam speculativam esse practica præstantiore, & virtutes intellectuales Moralibus præferendas. Edidit Cel. J. F. BUDDEUS A. 1698. Dissertationem Philosophicam de nævis Ethicæ Aristotelicæ, in qua pie ac erudite ostendit, quantum præcepta Stagiritæ Ethica sint illis inferiora, quæ in sacris continentur pandectis; quo tamen ipso Philosophum in foro non competente sistit, melius omnino facturus, si illius placita ad rationis lancem curatius expendisset. Certe hac impedire non potuit opera, quin ut antea, ita post, Aristotelem ad cælum usque multi extollerent. Aliis autem suo abundare sensa permittentes, nos existimamus, Aristotelem magnum utique in republica litteraria fuisse virum, hominem rāmen, suos non raro passum manes. Laudes certe ipse meretur, quod Methodum, procul dubio receptis meliorem, tradendi Moralia introduxerit, nec ipsi vitio erit vertendum, quod in Cimmeria illa, quæ toti fere orbī incubuit, disciplinarum caligine subinde

inde in devia secesserit. Attamen quum Moralium Doctorum deceat, non tantum ingenio, sed probitate etiam esse conspicuum; disciplinæ Morali promovendæ minus aptus fuit Aristoteles, cuius pectus ut nimia turgebat ambitione, ita ejus docendi ratio eo tetendit, ut audientium & legentium admirationem aucuparetur. Abstractas igitur potissimum deperiit ideas, nec tam Ethicam, quam potius Metaphysicam condidit Moralem, vel rectius, quæ Moralem sapiunt disciplinam, ad civilem potiori referuntur jure. *Virtutem* definit Aristoteles per habitum in mediocritate consistentem, secundum rectam rationem; *Mediocritatem* autem per medium duorum vitiorum unus, quod ex nimio, alterius, quod ex eo, quod parum est, nascitur; unde satis apparet, quam inadæquatam Philosophus habuerit virtutis notionem. Denique quum ipsis nec animæ immortalitatem, nec Dei Providentiam, quæ vera sunt disciplinæ Moralis fundamenta, agnoverit, & obligationis indolem ac vim prætermiserit, non multum bona frugis ex agro Philosophiae Peripateticæ in usum generis humani est colligendum.

## §. VII.

De meritis veterum Stoicorum in Disciplinam Moralem, diversas fovent opiniones diversi Scriptores, aliis eosdem nimium quantum laudantibus (*a*), aliis contra errores non ferendos detegentibus (*b*). Ne extra oleas vagemur, observamus tantum, quod doctrinam Moralem in formam scientiæ non redegerint Stoici, sed ipsam Methodo potissimum parænetica auditoribus suis in *scâ* proposuerint, ex ea forte causa, vel quod ad exemplum ejus ævi Philosophorum præcipuam Dialecticæ impenderint operam, vel quod sibi persuaserint, Ethicam ejus esse indolis, ut nec possit nec debeat, ad certam revocari Methodum, sed certis solummodo thesibus proponi.

PANÆTIUM, sectæ Stoicæ ornamentum, taxat CICERO  
(c), quod de officiis scribens, officii definitionem prætermiserit, sed qui nec ipse ab ejusdem neglectus crimine videtur immunis; unde apparet, quam parum solliciti fuerint Stoici in ipsis fundamentis disciplinæ Moralis rite ponendis. Non tamen erit inficiandum, quin virtutum Moralium indolem copiosius, quam ceteri, explicuerint hi Philosophi, ut Auditores suos ad earundem exercitium commoverent, longius & felicius in proposito campo progressari, si politiori & vitæ & stili generi studuisserent (d). Nec reticendum, quod paradoxorum Stoicorum quamvis quædam non sint contemnenda, alia tamen prorsus improbanda, quod *ταράλογα* seu rationi contraria deprehendantur: certe non sublimia, sed chimærica sunt, quæ tam de suo sapiente, quam de affectibus extirpandis prolixè nugantur.

(a) Huc forte referri potest *dissertatio M. D. OMEISII de Stoicorum Philosophia Morali sobria, placitorumque cum Christianismo convenientia.* (b) Vid. *J. F. BUDDEI dissertationes quatuor de erroribus Stoicorum, & G. P. ROTEN-BECCII Dissert. de intemperantia Philosophiæ Stoicæ.* (c) Vid. *Libr. I. de officiis & initium C. III.* (d) Hinc CICERO de Finib. Bon. & Mal. *Libr IV.* Stoici inquit horridiores evadunt, asperiores, duriores & oratione & moribus.

### §. VIII.

Ex Græcia in Italiam successu temporis commigrarunt scientiæ, sed quæ in nova patria eundem ferme habitum retinuerunt, quem in avita adsumserant, in veteri & magna Græcia non admodum dissimiles. Quam enim impigra in debellandis hostibus ac subigendis populis, tum fœcordia in proferendis scientiarum pomœriis diu fuerunt Quiritum ingenia. Non equidem negamus, quin

quæ plures Italiæ Civitates inde ab antiquissimis retro temporibus suas habuerint Scholas, in quibus in Patriæ commodum succrescens juventus erudiebatur, hæ tamen magis referebant nostri ævi pædagogias, quam Academias; vel enim litterarum rudimenta in illis sunt tradita, vel saltem intra Grammaticam, Rhetoricam & Dialecticam substiterunt. Parentes ipsi suos plerumque instituerunt filios, & si quos capacioris haberent ingenii, qui ulteriores facere in disciplinis progressus gestirent, vel eos Athenas, scientiarum tunc temporis acropolim, misserunt, vel doctores eis ex Græcia arcessendos curarunt. Quare studium disciplinæ Moralis in urbe domina diu quasi suppressum fuit, & qui hanc deinceps excoluerunt illustres Romani, quorum plerique sectæ addicti fuerunt Stoicæ, publico docendi munere non sunt functi, Scriptoribus proinde, non vero Doctoribus Moralibus annimerandi.

### §. IX.

Quæ Salvatoris nostri, CHRISTI, ætatem longa admodum serie exceperunt secula, frequentibus gentium migrationibus ac continuis fere bellis adeo fuerunt horrida, ut, ejurata quasi humanitate, immanitati se se traherent. Inter dubias has sedes ac gravissimos armorum fragores Musæ, pacis & publicæ tranquillitatis filiæ, velut mortuæ jacuerunt, lethalem hunc soporem promoventibus Pontificibus Romanis, qui inter ignorantia umbras ac superstitionum præstigias suam indies accrescere poterant, sibi in sinu gratulabantur. Tandem Principes, veri Patriæ Patres, nullam bello salutem invenientes, pacis studiis animum applicuerunt, atque Scholas & Academias, in quibus juvenes ad veritatis cognitionem possent deduci, in suis instituerunt terris. Sed quum instrumenta, comparandæ eruditioni inservientia, non ulla

B 3

sup.

suppeterent, sollicite colligere coeperunt vetustissimorum Philosophorum scripta, quotquot in gravissimo non perierunt litterarum naufragio. Factum autem tunc est, ut in Aristotelis scriptis *ā xpēnā* ingenii humani se invenisse putarent Academicī, propeque piaculum ducerent, ultra Aristotelem sapere velle. Atque hunc perfectionis characterem tam in aliis Stagiritā scriptis, quam in illis, quæ disciplinam explicabant Moralem, sese invenisse putarunt. Hisce proinde explicandis Professores Academicī diu impallescabant, quorum opera tamen non alia sensit doctrina Moralis incrementa, quam ut nunc demum, quid Aristoteles senserit, neminem facile fugere possit (a). Et licet postmodum extiterint eruditī, imprimis post felicem Ecclesiæ reformationem a B. LUTHERO & susceptam & peractam, qui carduos non ita amaverint Aristotelicos, ut non ex suis arvis salubriores proferre potuerint herbas, scripta tamen Moralia, quæ ante nostrum seculum in publicam prodierunt lucem, ad ductum vel ad mentem Aristotelis pleraque fuerunt composita. Immo in Constitutionibus Academicis a gl. m. Rege CAROLO GUSTAVO An. 1655 editis, Philosophiæ civili Professori injungitur, ut Ethicam & Politicam ex Aristotele quotannis proponat (b).

---

(a) Vid. J. F. BUDDEI *Selecta juris naturæ & gentium*, p. 30.  
(b) Vid. Cap. XIX.

